

textus jam relatos : quia nimirum processerunt contra formam mandati. Intellige, nisi ille tertius aliis duobus conjudicibus vices suas committeret, seu subdelegaret; prout per delegatos Papæ fieri posse, causa etiam simpliciter pluribus commissa, constat ex c. *Quamvis*, 6 et c. *Cum causa*, 22, h. t. Nisi forte causa fuerit adeo gravis, ut sine præsentia illius tertii non possit commode terminari; prout in c. *Si pro debilitate*, 3 eod. imitatur.

118. *Idque magis declaratur, simulque limitatur.*—Et hactenus dicta procedunt, quando eadem causa delegatur pluribus simpliciter. Quod additur imprimis ad excludendam delegationem ad universitatem causarum : nam delegati ad universitatem causarum potius censentur habere jurisdictionem mandatam, quam delegatam; atque æquiparantur ordinariis, ut dictum supra, n. 14 et seqq. et n. 63, sicque de ipsis idem dicendum, quod de ordinariis, quorum quilibet a principio potest per se incipere, daturque locus præventioni. Glossa in l. *Pomponius* (alias, l. *Si xxi*.) et Bartolus, ibid., § *Venio ad quest. ff. de Re judicat.*; Maranta, part. IV. *Speculi aurei*, dist. 3, n. 31. Deinde idipsum additur ad excludendam questionem de pluribus delegatis non simpliciter, sed cum certa apposita clausula : atque de his nunc loquendo,

119. *Quid juris, quando causa pluribus delegatur cum clausula* : Quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant? — Resp. II. Si causa tribus commissa, seu delegata fuerit cum clausula, « Quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant, et exequantur : » tunc duo illi procedere non possunt, nisi illis per certum nuntium, aut alias legitime constiterit, quod tertius adesse non possit, vel saltem, cum possit, interesse nolit : alioquin, si procedant, acta erunt irrita, cum fines mandati excedere, et contra formam rescripti judicare dignoscantur. Ita habetur decisum in c. *Prudentiam*, 21, § 1, h. t. Et quæ nunc dicta sunt de tribus delegatis, eadem (servata tamen proportione) sunt intelligenda de duobus delegatis, cit. c. *Prudentiam*, § *Idem quoque*, h. t. Concordat c. *Sciscitatus*, 13, de *Rescript.*

120. *Præsertim si tunc unus, cum possit, interesse nolit?* — Additur notanter, « vel saltem, cum possit, interesse nolit. » Nam, si aliquis ex ipsis, cum possit, interesse noluerit, duo alii de hoc legitime informati, jam poterunt in causa procedere, licet ille tertius,

atque mandatis Apostolicis inobediens delegatus, gravissime sit redarguendus. Ita habetur expressum cit. c. *Prudentiam*, § *Adjicimus*. Et merito : quia licet, « nolle interesse, » non importet aliquam impotentiam ex parte nolentis (unde etiam hic redarguendus dicitur), tamen hinc oritur impotentia ex parte conjudicum delegatorum, ut una cum nolente non possint in causa procedere : unde quia stante unius inobedientia, seu nolitione interessendi, verum est dicere, quod omnes tres simul interesse nequeant; hinc tali impotentia rite cognita, merito alii duo in causa procedere permittuntur.

121. *Concordantur c. Sciscitatus*, § fin. de *Rescript.*, et c. *Prudentiam* de *Offic. delegat.* — Nec obstat c. *Sciscitatus*, 13, § fin. de *Rescript.* ubi videtur oppositum decidi, illis verbis. « Nec enim ille, qui tantummodo non vult interesse, hac impossibilitatis interpretatione valet aliquatenus excusari : nisi forte in rescripto sic habeatur expressum : Si non omnes interfuerint, vel simul nequiverint aut noluerint interesse. » Resp. enim cum Abbate in cit. c. *Sciscitatus*, n. 16, et aliis, istud non obstare, sed utrumque capitulum mutuo sese declarare : nam in allegato c. *Sciscitatus*, solum dicitur, eum, qui sine legitimo impedimento interesse non vult, non excusari, quin ob suam inobedientiam puniri possit, nisi habeatur apposita clausula, « Vel interesse noluerit. » Hæc enim, cum sit clausula voluntatis, absque ulla alia causa interesse nolentem excusat a pena. Porro cit. c. *Prudentiam*, h. t. prædictis nullatenus præjudicat, quinimo in cit. § *Adjicimus*, clarissime subjungitur, quod ille, qui cessante justo impedimento interesse non vult, gravissime sit redarguendus, imo et puniendus pro eo, quod mandatum Apostolicum exequi subterfugiat, aut contemnat; sicque ultro fatetur talem ex sua inobedientia neutiquam excusari : addit tamen, quod uno delegatorum interesse nolente, alii nihilominus in causæ cognitione procedant. Ac per hoc melius declaratur d. c. *Sciscitatus*, de *Rescript.* non vero corrigitur, prout perpetram voluit Glossa, ibid. § *Excusari*.

122. — *Solvitur alia instantia.* — Instabis. Juxta dicta in conclusione, si ex tribus delegatis cum clausula, « Quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant, » etc., unus non possit, aut saltem nolit interesse, tunc possunt alii duo procedere : atqui illud semper fit; nam hoc ipso, quod tertius non

intersit, aut non potest, aut saltem non vult interesse; ergo alii duo semper possunt procedere, etiam non habito alio certo nuntio quoad hoc. Resp. negando majorem sic absolute prolata : quia ad hoc, ut possint duo sine tertio procedere, juxta cit. c. *Prudentiam*, § 1, h. t. ulterius requiritur, quod de altero eorum constet per litteras, vel certum nuntium, aut alias canonice; ut amplius Glossa ibid. § *Canonice*, et § *Procedant*, observat. Neque ex proxime data conclusione aliud habetur, prout liquet ex verbis ipsius.

123. *Delegatus, cum possit, interesse nolens, a quo sit redarguendus?* — Porro redargutio illa, atque punitio interesse nolentis, de qua n. 120 et 121, in fine, fieri non debet a conjudicibus delegatis; quia par in parem non habet imperium : sed vel a delegante, ad quem ea causa pertinet, cuique conjudices debent denuntiare negligentiam alterius, ut vult Glossa fin. in cit. § *Adjicimus* : vel a suo immediato superiore ordinario. Non quod iste talem Papæ delegatum possit compellere ad exequendum : hoc enim non spectat ad officium ordinarii, imo delegatus major est illo quoad causam delegatam, c. *Sane quia*, 11, h. t. Sed potest eum redarguere, atque punire ut delinquentem, seu quia contempsit exequi legitimum sui superioris mandatum, adeoque propter delictum præcise : sic enim cessat dicta majoritas, ex quo culpabiliter non acceptavit, aut exequi non curavit delegationem Apostolicam. Abbas in d. c. *Prudentiam*, § *Adjicimus*, n. 6, h. t.

124. *Quid, si plures delegentur cum clausula* : Ut omnes, aut duo, aut unus, aut unus eorum mandatum exequatur? — Resp. III. Quod si plures sint delegati sub hac forma « Ut omnes, aut duo, aut unus eorum mandatum exequatur, » seu alia consimili (ut si dicatur, quod quilibet eorum in solidum, et per se judicare possit; aut, quod alter alterum non expectet, vel non requirat), tunc singuli censentur habere jurisdictionem in solidum : atque ideo singuli eorum seorsim hanc libere exercere possunt, cæteris minime requisitis : daturque inter eos locus præventioni, adeo ut uno ipsorum negotium inchoante, cæteri non possint ulterius eidem sese intromittere; nisi vel infirmate, vel alia justa causa illum priorem contingeret impediri, aut nisi is nollet, vel malitiose in eodem negotio procedere recusaret.

Ita habetur expressum in c. *Cum plures*, 8, h. t. in 6, juncta Glossa, et doctores ibidem.

## § VI.

## DE CESSATIONE OFFICII JUDICIS DELEGATI.

125. *Quibus modis generatim cesset officium judicis delegati?* — Quæritur I. Quibus modis generatim cesset officium, et potestas judicis delegati? Resp. Id accidit potissimum sequentibus modis. I. Morte delegati. II. Morte delegantis re integra. III. Pronuntiatione delegati, quod jurisdictio in causa si non competat. IV. Revocatione delegationis. V. Lapsu temporis præfixi. VI. Finito negotio, seu quando delegatus officio suo functus est. VII. Recusatione. Et hi sunt præcipui modi, quibus cessat, atque finitur officium delegati; quamvis possint nonnulli alii assignari, qui tamen levioris sunt considerationis. Verum, quia enumerati septem modi majori, ac speciali indigent elucidatione, hinc de singulis seorsim loquendo,

126. *Morte delegati finitur ejus officium et jurisdictio, nec transit ad hæredes, vel successorem, si delegatio fuit personalis.* — Quæritur II. An, et quando morte delegati, vel delegantis, expiret illius officium, ipsaque delegatio? Resp. I. Morte delegati finitur ejus officium, atque jurisdictio : ut l. *Si quis alicui*, § *Morte*, ff. *Mandati*. Nam mors omnia tollit. Unde delegati officium, atque jurisdictio, non transit ad hæredes, l. *Mandatum*, 57, ff. eod. Neque ad successorem, si delegatio fuit personalis, seu expresso nomine proprio delegati facta; ut puta dicendo : « Tibi Sempronio delegamus hanc causam : » quia tunc sequitur personam, et veluti accessorium extinguitur cum persona, c. *Accessorium*, et, c. *Privilegium personale de Reg. juris*, in 6, et l. *In omnibus*, ff. eod. cum similibus.

127. *Secus, quando delegatio facta est dignitati.* — Additur notanter, « si delegatio fuit personalis. » Nam secus est dicendum in delegatione reali : qualis censetur illa, quæ fit contemplatione dignitatis, et non personæ; sive, quando delegatio facta est dignitati, seu sub nomine dignitatis, non expresso nomine personæ, v. g. *episcopo, officiali Frisingensi*. Nam talis delegatio non extinguitur morte prælati tunc existentis, sed transit ad successorem in eadem dignitate, etiamsi res sit adhuc integra. Textus est in c. *Quoniam*, 14, h. t. ubi Glossa § *Substitutus*.

tum, Abbas, n. 3; Barbosa, n. 1 et 2, citans alios; Sperellus, decis. 166. *Fori ecclesiast.*, num. 1, et communis. Ratio est: quia dignitas non moritur, neque variatur per mutationem personarum, c. *Si gratiose*, 5, de *Rescript.* in l. Unde successor in tali dignitate causam debet reassumere in terminis, in quibus antea fuerat, eamque, prout justitia exigit, terminare, l. *Mortuo*, ff. de *Judiciis*, ac notat Abbas, in cit. c. *Quoniam*, n. 4, h. t.

128. *Quid agendum in dubio, an delegatio sit personalis, vel realis?* — Cæterum in dubio, an delegatio sit personalis, vel realis: ut si delegatio facta fuit tam expresso nomine dignitatis, quam expresso nomine proprio, v. g. *Antonio officiali Frisingensi*; vel si alia causa rationabilis dubitandi supervenerit: tunc imprimis attendendus est totus contextus verborum factæ delegationis; nam verba præcedentia solent declarare sequentia, et contra, l. *Utrum autem*, ff. de *Petition. hæredit.* et l. *Quibus filiabus*, § 1, ff. de *Legat. 1.* Barbosa, axiomaticæ 232, n. 48, citans alios. Deinde spectanda est materia subjecta, aliæque circumstantiæ concurrentes, ac juxta ipsas ferendum judicium, arg. c. *Requisivisti*, 15, § 1, de *Testament.* et notat Abbas, consil. 93, n. 1 et 2, lib. II, inde inferens, quod ad conjecturandam commissionis qualitatem, num videlicet sit personalis vel realis, primo recurrendum sit ad subjectam materiam; et tunc primum, veluti ultimum refugium, consideratio illa sit attendenda, an in ea exprimat nomen proprium, vel appellativum. Covarruvias, lib. III, *Variar. resolut.* cap. xv, n. 2 et d. c. *Requisivisti*, 15, de *Testament.* n. 1 et 2, Sperellus, cit. decis. 166, n. 24, allegans alios, atque hoc ipsum notabili casu declarans.

Quod si autem pensatis omnibus adhuc remaneat dubium, an facta delegatio sit personalis vel realis, tunc ejusmodi delegatio censenda est personalis, seu intuitu personæ concessæ, ac proinde non transiens ad successorem. Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.* disp. 27, n. 30; Pirhing, h. t. n. 167. Ratio est: quia jurisdictio delegata est odiosa, et stricte interpretanda, ut dictum supra § 2, n. 52. Sicque stante dubio non extendenda ad successorem; tum quia universim loquendo, « generi per speciem derogatur, » juxta reg. 34 juris in 6, cum similibus; ergo etiam impræsentiarum generico no-

mini *Dignitatis* derogatur per additum speciale nomen *Personæ*, illudque per hoc restringitur; tum tandem, quia verba rescripti debent aliquid operari, ne sint superflua: atqui appositum nomen proprium nihil operaretur, nisi stante tali dubio redderet delegationem personalem: nam si ea foret realis, satis persona delegati significaretur expresso nomine dignitatis; ergo.

129. *Per mortem delegantis re integra, expirat jurisdictio delegati: secus, si res non amplius sit integra.* — Resp. II. Tunc per mortem delegantis expirat officium, atque jurisdictio delegati, quando res adhuc est integra, et negotium necdum inchoatum: secus, quando res non amplius existit integra, sed delegatus ante obitum delegantis, saltem facta citatione, negotium quasi cepit: sic enim perpetuata est ejus jurisdictio. Desumitur hoc ex c. *Gratum*, 28, et c. *Licet undique*, 30, h. t. estque amplius dictum supra, tit. de *Rescriptis*, § 40, num. 232, et seqq. extendendo hoc etiam ad cessationem officii delegantis per renuntiationem, aut depositionem re integra; cum sit eadem ratio de his, ac de morte ejus naturali. Ubi etiam fusius respondetur ad instantiam ex c. *Relatum*, 19, h. t. fortiter urgentem, dum inquit, quod per obitum delegantis ante litis contestationem, expiret potestas delegati. Ibi videatur.

130. *Si delegatus interloquendo pronuntiet nullam sibi respectu talis causæ jurisditionem competere, finitur omnis jurisdictio, licet hanc revera habuisset.* — Quæritur III. Qua ratione finiatur officium delegati ex pronuntiatione ejus, quod jurisdictio in causa sibi non competat? Resp. I. Quando judex delegatus interloquendo pronuntiat sibi nullam respectu talis causæ jurisditionem competere (ut puta, quia judicavit litteras delegationis esse subreptitias, vel hujusmodi) et pars litigans ab hac ejus sententia interlocutoria intra decennium non appellat; transit ea in rem judicatam, et finitur omnis jurisdictio ipsius, licet hanc virtute talis delegationis revera habuisset: adeo quidem, ut postea officium judicis in eadem causa sine nova commissione reassumere non possit, etiamsi partes in ipsum de novo consentiant. Ita habetur in c. *Significantibus*, 38, h. t. ac tenet Abbas, Barbosa, et communis doctorum ibidem. Ratio est: quia talis delegatus, sive bene, sive male, interloquendo pronuntiauerit, censetur functus officio suo; sicque

nemine appellante amittit jurisdictionem, et lata ab eo sententia transit in rem judicatam.

131. *Dummodo hoc fiat nemine appellante.* — Additur notanter, « nemine appellante. » Nam si pars litigans ab hac ejus sententia interlocutoria appellaverit, non extinguitur illius jurisdictio delegati jurisdictionem, arg. c. *Dilectus*, 34, de *Præbend.* (ubi talis casus refertur) ac notat ibi Glossa marginalis, citans doctores in l. *Si per imprudentiam*, ff. de *Evictionib.* et Abbas n. 2, et alii. Nam generale est, quod si appelletur a sententia judicis, ejus executio suspendatur, atque interea nihil sit innovandum, can. *Post appellationem*, 2, q. 6, et c. *Dilectis filiis*, 55, de *Appellat.*

132. *Nec potest eam absque nova commissione reassumere, etiamsi partes de novo in ipsum consentiant.* — Additur ulterius, « Sine nova commissione reassumere non possit, etiamsi partes etc. » Quia ex una parte nihil prohibet, quin superior possit ipsi de novo talem causam delegare, seu decidendam committere. Ex altera vero parte, postquam judex delegatus pronuntiavit, sive bene, sive male, nullam sibi in hac causa competere jurisdictionem, jam expiravit ejus jurisdictio: partes autem suo consensu non possunt ipsi conferre jurisdictionem, l. *Privatorum*, c. de *Jurisdict. omn. judic.* Ne quidem per prorogationem: quia jurisdictio, quæ non est, seu jam expiravit, prorogari non potest, arg. c. *De causis*, 7, h. t. et notat Abbas ibid. n. 7, et communis.

133. *Judex cæteroque incompetens habet potestatem cognoscendi in dubio, an ipse sit judex, nec ne.* — Dices: Si hujusmodi judici delegato nulla competit jurisdictio respectu causæ; ergo nec valet sententia ejus interlocutoria, qua pronuntiat nullam sibi in causa illa competere jurisdictionem: cum sententia a non suo iudice lata nullius sit momenti. Resp. neg. sequel. Quia, ut recte notat Glossa fin. in cap. ult. de *Rescript.* et Abbas in c. *Dilectus*, n. 1, de *Præbend.* judex cæteroque incompetens, seu datus per litteras invalidas, ut puta subreptitias obtentas, saltem in isto articulo est judex competens; ut in causa dubia possit discutere, an ipse sit judex, et cognita rei veritate valeat pronuntiare se non iudicem, ac etiam condemnare impeitrem in expensis reo injuste vexato persolvendis; uti desumitur ex Clem. 1, de *Rescript.* Unde hæc potestas, seu jurisdictio, utpote a jure communi concessa, potius est ordinaria, quam delegata.

134. *Delegatus virtute rescripti subreptitii, an de consensu partium possit in causa procedere?* — Dices ulterius: Rescriptum ad lites, etiam subreptitium, tribuit jurisdictionem, licet elidibilem ope exceptionis; ergo, si ambæ partes consenserint, poterit delegatus virtute ipsius in causa procedere. Antecedens patet ex eo: quia tale rescriptum non est ipso jure nullum, sed dumtaxat ope exceptionis elidibile, ut plene dictum est supra, tit. III, de *Rescript.* § 7, num. 172 et 173. Resp. distinguendo consequens. Ergo, si partes consenserint, potest delegatus virtute ejus in causa procedere, si nondum pronuntiaverit se iudicem esse incompetentem, conceditur: postquam sic pronuntiavit, negatur consequentia. Quia secuta tali sententia interlocutoria illico rescriptum, subreptitium ad lites impetratum, extinguitur in totum; et jurisdictio delegati, quæ antea fuerat elidibilis ope exceptionis, nunc remanet elisa, et extincta: unde hæc nequit amplius consensu partium conferri, seu resuscitari; et si secus attentetur, processus postea agitatus est nullus, d. c. *Significantibus*, et notat Abbas ibid. n. 8, h. t. cum aliis.

135. *Officium delegati expirat per revocationem ejus.* — Quæritur IV. Utrum et qua ratione finiatur officium delegati per revocationem a delegante, vel hujus superiore factam? Resp. I. Certum est, quod officium delegati expiret per revocationem delegationis seu jurisdictionis suæ a delegante, vel hujus superiore factam, ipsique debite infirmatam. Ita communis; et liquet ex l. *Judicium*, 58 ff. de *Judiciis*; ibi: « Judicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat: vel eo etiam, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet. »

136. *Princeps, seu judex ordinarius delegans, potest delegationem libere revocare, etiam re non integra.* — Et quidem, si princeps, sive judex ordinarius inferior, jurisdictionem seu causam quamdam delegaverit, potest ipse hanc libere revocare: et hoc non solum, quando res adhuc est integra, et judicium necdum cœptum a delegato; sed etiam re amplius non integra, sive quando per citationem partis judicium ab isto jam fuit inchoatum, imo et lis contestata. Glossa in cit. l. *Judicium*, ff. de *Judic.* id probans ex proxime allegato textu, quem ait loqui in casu, « ubi lis contestata erat; alioquin enim non esset judicium. » Sanchez, lib. VIII de *Matrim.* disp.